



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De venatoribus. cap. lix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

Deut. 22. **S**I AMBVLANS per viam, in arbore vel in terra nidum auis inueneris, & matrem pullis vel ouis desuper incubantem, non tenebis eam cum filiis, sed abire patieris, captos tenens filios, vt bene sit tibi, & longo viuas tempore.

De curationibus à Domino & à Prophetis factis.

CAP. LX.

4. Reg. 5. **V**ENIT Naaman cum equis & curribus, & stetit ad ostium domus Elisei: misitque ad eum Eliseus nuntium, dicens: Vade, & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. Iratus Naaman recedebat, dicens, Putabam quòd egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me. Nunquid non meliores sunt Abana & Pharphar fluij Damasci omnibus aquis Israël, vt lauer in eis, & munder? Cùm ergo abiret indignans, accesserunt ad eum serui sui, & locuti sunt ei, Pater, si rem grandem dixisset Propheta, facere debueras: quantò magis quia nunc dixit tibi, Lauare, & mundaberis? Descendit igitur, & lauit in Iordane septies iuxta sermonem viri Dei, & restituta est caro eius sicut caro pueri paruuli, & mundatus est.

4. Reg. 20. Antequàm egrederetur Esaias mediam partem atrij, factus est sermo Dei ad eum, dicens: Reuertere, & dic Ezechia duci populi mei: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui. Audiui orationem tuam, & vidi lachrimas tuas, & ecce sanauit te die tertio ascèdes templum Domini. Et addam diebus tuis quindecim annos: sed & de manu regis Assyriorum liberabo te, & ciuitatem hanc.

Mat. 8. Cùm descendisset Iesus de monte, secuta sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens, Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens, Volo. Mundare. Et confestim mundata est lepra eius.

ibid. Cùm intrasset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus, Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio, ait, Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, Vade, & vadit: & alij, Veni, & venit: & seruo meo, Fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus, miratus est: & sequentibus se dixit, Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël. Et dixit Centurioni, Vade: & sicut credidisti, fiat tibi. Et cùm venisset Iesus in domum Petri, vidit sororum eius iacentem, & febricitantem. Et tetigit manum eius, & dimisit eam febris.

Mat. 9. Transeunte Iesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes: Miserere nostri, fili Dauid. Dicit eis Iesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei, Vtique Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens, Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum. Egressis autem illis, obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. Et eiecto dæmonio, locutus est mutus.

Mat. 12. Et cùm inde transisset, venit in synagogam eorum. Et ecce homo habens manum aridam. Et interrogabant eum, dicentes, Si licet sabbatis curare? At ait homini, Extende manum tuam. Et extendit: & restituta est sanitati sicut altera.

Mat. 14. Obtulerunt ei omnes malè habentes. Et rogabant eum, vt vel solùm fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quotquot tetigerunt, salui facti sunt.

Mat. 15. Et ecce mulier Chananaea à finibus illis egressa, clamauit, dicens ei: Miserere mei Dñe, &c. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos,